

ille & meus est, quia mihi datus, & Dei est,
quia à Deo datus.

VIII. Et misericordia sua subsequetur me
omnibus diebus vitæ meæ.

IX. Et ut inhabitem in domo Domini
in longitudinem dierum.

Hoc est ultimum bonum, quod perducit
ad summum bonum. Misericordia tua sub-
sequetur me, non ad tempus, sed perseveran-
ter usque in finem; quod est donum propriū
Electorum. Et ut inhabitem, id est, & subse-
quetur me, ut inhabitem in domo Domini
in longitudinem dierum, id est, in eternum.
In Hebreo, & Græco textu non habetur, ut,
sed solum, &c: contra autem nonnulli vete-
rum, ut Augustinus, Hieronymus, Theodo-
retus in Commentariis non legunt, &c, sed
solum, ut, & certè sine alterutro esset clarius
lectio, nimis sic, Misericordia tua subsequetur
me omnibus diebus vitæ meæ, ut inhabitem
in domo Domini, quomodo legunt
Patres: vel sic, Misericordia tua subsequetur
me omnibus diebus vitæ meæ, & inhabita-
bo in domo Domini, quo modo vertit ex
Hebreo S. Hieronymus. In his enim lectio-
nibus nihil subaudiendum est. Tamen lec-
tio nostra non est adeo obscura, ut non pos-
sit satis facile intelligi. Subauditur enim il-
lud, subsequetur, quod paulo ante præcedit.
nimis sic, Misericordia tua subsequetur me,
dum viuo, ut recte viuam, & subsequetur
post hanc vitam, ut in æternū viuam. Quare
S. Augustinus licet in textu non legerit, &c,
tamen in Commentario addit, etiam, ut vi-
deatur illud subintellexisse. Porrò pro voce,
inhabitem, in Hebreo habetur, Sciauti, quod
significat, redibo. Ceterum Septuaginta le-
gisse videntur, lasciati, una literula addita,
& sic recte verterunt, ut inhabitem. Quo-
modo etiam legit sanctus Hieronymus, qui
non vertit, redibo, sed inhabitabo.

Quare lectio Hebraica post S.

Hieronymi tempora
deprauata fuisse
videtur.

שבת
ישוב

PSALMVS XXIII.

Titulus, & Argumentum.

Psalmus Dauid, prima Sabbati.

In hoc titulo pars illa, prima Sabbati, non
habetur in Hebreo, sed addita est à Gra-
cis; fortasse quia in principio Psalmi fit
mentio creationis terra, qua prima Sabbati,
id est, die Dominico facta est; vel quia sole-
rent hunc Psalmum die Dominico recitare.
Quod quidem volunt, additum esse, prima
Sabbati, quia illo die Dominus resurrexit;
non mihi videtur probabile, cum hic Psal-
mus, non resurrectionem, sed ascensionem Do-
mini manifestè prædicet: ascensionem autem
non prima Sabbati, sed quinta factam esse,
notissimum est. Quod ad Ascensionem hic
Psalmus propriè pertinet, testantur Cyprianus
serm. de Ascens. Hieronym. epist. 142. ad
Damascum, Ruffinus in expositione Symboli,
Greg. Nyssenus, Ioan. Chrysostomus, Augu-
stinus, Leo, & alij in serm. de Ascensione.

EXPLICATIO PSAL. XXIII.

Domi ni est terra, & plenitudo eius, I.
orbis terrarum, & vniuersi, qui ha-
bitant in eo.

Propositorum Dauidis est, ostendere ex in-
numerabili hominum multitudine solum
Christum, & paucos alios, paucos, inquam,
si ad multitudinem aliorum conferantur, in
domum Domini cœlestem, & beatissimam
intraturos; quare ne forte crederentur cœte-
ri homines ad Deum non pertinere; sed ab
aliо aliquo principio creatos esse: quod po-
stea Marcionistæ, Manichæi que senserunt;
præmittit hos duos versiculos, quibus docet,
Deum Creatorem, ac Dominum esse totius
orbis terrarum, & omnium rerum, quæ in
eo sunt. Domini est terra, & plenitudo eius,
id est, & omnia quæ in ipsa sunt, quæque ip-
sam replent. Quod explicatur per alteram
partem versiculi, orbis terrarum, & vniuersi
qui habitant in eo. Declarat enim se, cum di-
xit Domini est terra, intellexisse potissimum
de terra